

Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, ad
exequias, quas ... Catharinae Quistorpiae hodie parat moestissimus eius viduus
Vir ... Dn. Christophorus Claprodus, Pastor Ecclesiae Kessinensis ... frequenter
eundas Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [PP. Sub Sigillo
Rectoratus d. XXIX. Octobr. A. M DC XC.]**

Rostochi[i]: Weplingius, [1690]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777387743>


Druck Freier  Zugang



Festing, J.,
in
C. Quistorp,
uxor Chr Claprod
Rostock. 1690.

54





PROGRAMMA

²uo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES FE-
TINGIUS,



ad exequias, quas

ad huiusmodi virtutum splendore condecoratissima

CATHARINÆ
QUISTORPIÆ

hodie parat moestissimus ejus viduus

Vir Plurim. Reverendus & Clarissimus

DN. CHRISTOPHORUS
CLAPRODIUS,

Pastor Ecclesiæ Kessinensis vigilantissimus,
frequenter eundas

*Omnes Omnium Ordinem Cives Academicos eâ, quâ
debet, humanitate peramanter invitat,*

•••••
Rostochi, Typis JOHAN. WEPPLINGII, Acad. Typogr



Ix manum de tabulâ moverã, & vix
ê scholis Epicuræorum, Pythagoræ-
orum, Stoicorum, Psychopanny-
chytarum & Orthodoxorum no-
strorum animæ separatæ status
cognitione ventilata pedem adfo-
rensia negotia extuleram, Ubi ecce!
nova philosophandi materia ob-
fertur, renovatur meditatio mor-
tis quæ secundum Platonem vera
philosophia est. Mortua est CA-
THARINA QUISTORPIA magnorum parentum soboles
optima, Viri plurimum Reverendi & Clarissimi Dn: CHRI-
STOPHORI CLAPRODII Ecclesiæ Kessinensis Pastoris vigi-
lantissimi conjux desideratissima, relictæ filiæ jucunda mater,
nunc puerpera, nec tantum spem augmenti suo conjugio non
implevit, sed & ipsa hac ê vita discedens tristem orbitatem filio-
læ, viduitatem conjugii, & propinquis acerbissimum post se
reliquit luctum. Multo hinc complexus sum acerbissimum cumu-
los: quo enim melior jucundiorq; alicujus rei fructus, eò gra-
vior jactura est, ubi eum nostrum facere non licuit & perit
quod amatum est. Gratissimam hominum fortunam esse lau-
datissimis ducere ortum suum abs parentibus vitæq; inde probæ
argumentum succedere in nepotes, dudum meditati & in aliis
funeribus professi sumus. Hæc nostra autem Beata quantis ex
parentibus prognata sit, in magno statim legitur QUISTOR-
PIO nomine. Fuit parens ejus Vir maximè Reverendus &
Excellentissimus Dn. JOHANNES QUISTORPIUS, SS. The-
olog. Doctor, Theolog. Facultatis & Collegii Senatorii Senior nec
non ad D. Jacob. Pastor & Ministerii Director; Vir pietate insi-
gnis, facundiæq; & docendi industria clarissimus, qui in Re-
ctoratu obiit Anno MDCLXIX. d. XXIV. Decemb. Mater
autem adhuc in vivis & filia obedientissimæ lugens obitum est
Matrona & generis decore & virtutum splendore conspicua
SOPHIA SCHARFFENBERGIA. Avum habuit paternum Vi-
rum Reverendum Maximè atq; Excellentissimum Dn. IOHAN-
NEM

NEM QUISTORPIUM Doctorem Theol. celebratissimū, Facul-
 tatis Theol. Seniore, ad D. Virg. Pastorem & Superintenden-
 tem meritissimum, cujus fama perennat donec constat inter li-
 teratos hunc fuisse Virum dignum quocum illud incompara-
 bile decus Belgii Magnus Grotius mortis meditationem profe-
 cuturus mortem placidè subiit ipsiusq; in admonitionibus val-
 de argumenta suspiciens acquieuit & obdormivit seculi gloria.
 Avia paterna fuit nobilissima ac fulgidissima BARBARA DO-
 MANNIA Nobilissimi Dn. STEPHANI DOMANNI Jcti
 & Advocati Osnabr. Magni illius (quo nomine suis etiam tempo-
 rib; hîc loci deprædicatus est) DOMANNI Jctiac Politici & Ora-
 toris consummatissimi, hujus Reipublicæ nec non Civitatum,
 Anseaticarum Syndici generalis fratris filia. Nec minus magna
 cum laude in maternâ linea Majores recensendi erunt, ubi Avum
 accepimus fuisse Virum Magnificum Nobiliss. Ampliss. atqve
 Consultissimum Dn. NICOLAUM SCHARFFENBERGIUM,
 J. U. Doctorem, Potentissimi Danorum Regis CHRISTIANI
 IV. Consiliarium & primarium hujus Reipublicæ Rostoch. Con-
 sulem meritissimum; Aviam verò Matronam venerabili morum
 & probitatis encomio laudatissimam ANNAM ex patricia an-
 tiqua GULLIORUM familia oriundam. His igitur optimis pa-
 rentibus nata Beata nostra, ita educata fuit quemadmodum
 educari fas est Sacerdotis filiam. Sic juxta *Carthag. Concil. can. 15.*
 Episcopus dignitatis suæ autoritatem fide & vitæ meritis quæ-
 rat necesse est. Tum monetur Clericus per *Concilij ejusd. can. 45.*
 ut professionem suam & in habitu & in incessu probet; ne sit
 scurrilis & verbis turpibus jocular, talis enim ab officio retra-
 hendus. *d. concil. c. 60.* Equidem quod dicitur *c. 3. dist. 23. ex Isidor.*
de Eccles. offic. lib. 2. c. 2. Clerici odium, æmulationem, obrecta-
 tionem atq; invidiam fugiant: non vagis oculis, non effreni-
 lingua aut petulanti fluidoq; incessu incedant; sed pudorem &
 verecundiam simplici habitu incessuq; ostendant. Qua rati-
 one Ambrosius lib. 10. epist. 28. ad Ecclesiam Vercellensem be-
 ne & notanter, *Neque mediocris est virtus sacerdotalis, inquit,*
cui cavendum non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne mi-
nimis quidem: ut sit promptus ad misericordiam, promissum non re-
mordeat, lapsum revocet, compatiatur dolori, mansuetudinem ten-
eat

beat, pietatem diligat, iram depellat vel decoquat: sit quidam li-
vus plebis excitanda ad devotionem, mitificanda ad tranquillitatem.
Reperitur etiam in decretis Eusebii Papæ qui sedit An. Dom.
CCCIX. Oportet Episcopum moderata epulis contentum esse, suosque
convivas ad comedendum & bibendum non urgere, quin potius so-
brietatis præbeat exemplum. Removeantur ab ejus convivio cuncta
turpitudinis argumenta, non ludicra spectacula, non satuorum stulti-
loquia, non scurrilium admittantur præstigia. &c. Recitetur sa-
cra lectio, subsequatur viva vocis exhortatio, ut non tantum cor-
porali cibo, imo verbi spiritualis alimento, convivantes se refectos
gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum
dominum nostrum. Ergo quâ pietate eluxerit Doctoris Theo-
logi tota domus satis existimare possumus, cum habuerit testi-
monium non fidelium tantum sed etiam eorum qui foris sunt:
qui vidit alta Dei, egit excubias pro populo, defendit castra. *vid.*
Ambros. d. Offic. cap. 50. Nec contra canones in habenda suæ fami-
liæ ratione agere potuerat qui accuratissimè noverat, ubi ne fi-
lii Clericorum ad spectacula accedant, *Concil. Carthag. 3. c. 11.* imò
ne clerici filios suos à potestate exire sinant. *ibid. c. 14.* Adeò
canones clericis majorem educandi liberos suos & familiam
disponendi curam injungunt. Simulac in hanc lucem feliciter
edita fuerat Beata nostra A. Chr. 1667. die 28. Nov. abs parentibus
piis Christo Salvatore oblata & per baptismatis gratiam unita est.
Sed Patre Venerando mortuo, quantis in virtutibus optimæ
matris ductu creverit virgo laudatissima satis superq; inter
omnes notum est, talisq; filia cognita qualis mater quæ vidua
sacerdotis virtutum plena & religiosissima. Displicet hodie
ut plurimum & inter multos abolenda maximè videtur veteris
Græciæ consuetudo, ubi à progressu, curis, & omni, feminarum
marumq; civili aut libero commercio arcebantur puellæ, clausæ
thalamis, aut comitibus iis stipatæ qui omni facillè libertate & li-
centia eas excluderent *vid. Joh. Gebb. lib. 3. cur. juv. cap. 15. Barth.*
in Papin. Stat. lib. 5. Thebaid. v. 81. Idem in lib. 8. Thebaid. v. 607. it. in
lib. 1. Thebaid. v. 136. Scilicet convenientius visum est formare
aptam conversationibus filiam, ducere in convivium, offerre
in victam frontem libertati jocantium, expeditam linguam pro-
ducere jocos jocos opponentis virginis. Quis hodie à simpli-
citate

citare laudis virginalis partem auditurus est? quam tamen apud Poetas multoties legimus, talisque fingitur ab Ovidio Proserpina quæ ad Inferos rapta dolet florum, quos collegerat, profusionem. Omnis etiam simplicitatis (quæ solennis apud literatos fuit) virginum cum columbis comparatio fere eò devenit, ut in verbis Papinii Statii *lib. 1. Achilleid. v. 372.* expressa videatur:

*Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, jam longum celoq; domoq; gregate,
Si junxit pennas, diversosq; hospita tractu
Venit avis, cunctæ primum mirantur & horrent,
Mox propius propiusq; volant, atq; aëre in ipso
Paulatim fecere suam, plausuq; secundo
Circumeunt bilares & ad alta cubilia ducunt.*

De comitibus olim monuit Hieronymus ad Demetriadem, ut eligantur graves, quarum probata sit conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia. Sed quales hodie sunt? Hæc placet quæ compta, quæ formosa atq; lasciva, quæque liquido guttore carmen dulce moduletur. Hinc propè fit, quia tenera in feminis pudicitia est, ut quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescat auram, leviq; flatu corrumpatur, maximè ubi & ætas consentit ad vitium. *Hieronym. ad Salvian. Virgo ludendo capitur Cais. embl. amat. 32.*

Nec facile ingenui retinet monumenta pudoris,

Sepè dionæo juncta puella gregi. Cais. embl. 33.

Quinimò hanc talem, quæ solutior in risu & liberiùs cum viris confabulatur, pro pudicâ sapientum calculo habitam non fuisse, multis in exemplis demonstratum est. Quâ ratione teste Plutarcho Posthumia in crimen incestus vocata est; nec non de Claudia Quinta Ovidius *lib. 4. Fastor. vers 307. seqq.* ita cecinit:

Casta quidem, sed non & credita, rumor iniquus

Lascerat, & falsi criminis acta rea est.

Cultus, & ornatis varis prodisse capillis

Obfuit; ad rigidos promptaq; lingua sonos.

X3

Excu.

Excusata hæc quidem ab ipso est, sed ita, quia miraculosa velut purgatione se liberaverat: alias autem graviter monet lib. 5. Trist. elg. 13.

Tu tamen ut false possis quoque pellere culpæ

Crimina; quod non es, ne videre, cave.

Verumenim verò contra istos seculi pravorum mores hac beata nostra talis educata fuit, in qua virginittatis nomen pristinam retinuisse laudem cognoscebatur, cum virginem omne incorruptum & in actum dixerint veteres; & modestia inde virginalis ac virginali verecundia homo apud Auctores, nec non castè vivere virginare id est more virginum vivere. Huic virgini more veterum prima cura fuit tuendarum ædium (vid. Barb. in Papin. Stat. lib. 1. Thebaid. v. 572.) & in iis potissima pietatis & cum religione maxima implorandi Numinis cœlestis gratiam. Talis lingua informata erat, quæ loqueretur secum Dei gloriam; talis efformata facies, quæ aspiceret cœlum; tales ad rectam viam eundam conformati pedes, ut ad cœlum progredi viderentur; talis anima abs lapsu reformata, ut in cœlis versaretur: Cuncta ad voluntatem Dei adq; nutum ejus disposita erant in patientia, in spe & beneplacito. Valde delixerat eam Amita præstantissima Angela Quistorpia, quæ per quadriennium secum habuit hanc virtutum laude pretiosam virginem & ægrè ab se dimisit cum revocaret Mater optima. Tandem igitur à DEO T. O. M. ad matrimonium, sanctissimam illam multiplicandi generis humani & societatis conjugalis in amore & ferendis unà Viri pii ærumnis ac difficultatibus humanis ordinationem vocata, piis precibus se connubio addixit, matre & propinquis consentientibus non tantum sed cohortantibus, Viro Pl. Rever. & Clarissimo DN. CHRISTOPHORO KLAPPRODIO, Pastori Ecclesiæ Kessinensis vigilantissimo, felicissimisque nuptiis A. 1686. d. 5. Maji. sociata est. Id verò nec sine benedictione divina fuit DEO in concordia & pietate ardentissimis precibus commendatissimum matrimonium; Sed ex fœcundo tali habuerunt primam filiam quæ mundanam hanc non vidit lucem; alteram SOPHIAM mox exstinctam; tertiam vivaciorē per Dei gratiam CATHARINAM DOROTHEAM in quā

Viduus

Viduus mœstissimus contemplatur hodiernum Conjugis imaginem & diuturna hinc sibi inter hæc mundi desideria precatur omnesq; nos vovemus ipsi constantissima solacia. Quarta filia in utero mortua spem in mundum non extulit sed extinctam modò ostendit, cujus mors secutum beatæ matris obitum festinantiore cooperata est. O tristem hac in re mearum etiam fortunarum memoriam! Ego tamen in me non vulnera ostento; sed humillimam erga divinam voluntatem obedientiam, in remissentiâ patientiam, eamq; in decreto Dei conditam, non humanis exemptam affectibus, sed variis excultam pugnis, in dõ vitæ huic nullo momento aut modo incongruam abs Deo semper precatus, magis inter cætera malorum incommoda profecturus ipsiusq; voluntatem & providentiam exosculaturus sum. Eheu! tantane fuerunt cordis anxietates, de quibus hæc beata quæstæ! quis earum non misereatur, quis non aurium duris sonis recolat tristem hanc memoriam? Naufragii licet aliquis periculis emergerit, non tamen horrere ipse desinit si meminerit, nec facillè lacrymas continet si inaudit uxor aut parens aut amicus aut salutis cupidus. Sed quàm brevis via est, quæ in asperitate duxit ad cœlestia gaudia! quam minus aspera, cum comitante JESU, quem tam ardentè invocaverat, profecta fuerat! Veneramus sanctum Virorum Confessum qui collatis solaminibus, verbiq; Dei tantis remediis Mortis acerbitatibus tantam opposuerunt medicinam. Laudatur laudatissimi fratris Admodum Rever- Dn. JOH. NICOLAI QUESTORPII, SS. Theol. Doctoris & ad D. NICOL. Pastoris famigeratissimi, nec non meritissimi Affinis Plur. Rev. Dn. M. POLTZII Pastoris ad D. Johann. & S. Spirit. vigilantissimi sedula opera; quibus accessit Confessionarius Optimus Vir Admod. Rev. Dn. M. HENRICUS CARMONIUS, ad D. Jacob. Pastor. meritissimus, complevitq; tantam abeuntis ex hac vitâ solatiorum pi-orum felicitatem Vir itidem Admod. Rev. DN. SIMON HENNINGIUS, SS. Theol. Doct. & ad D. Jacob. Archidiaconus nunquam sine laudis gloria memorandus. Quisnam inter hos Viros nostris supererit locus consolandi argumentis? quibus non tantum meditationum sacrarum gloriam concedimus & in iis eorum

rumq; doctrinis optimis cognitam perspectamque magnifac-
mus, sed nostram quoq; mentem his mundanis sollicitudini-
bus implicatam, eruditione imperfectam, & minus exultantem
merito submittimus. Maxima autem Consolatio erit maxima-
que bene morientis gloria, quia bene vixit bene etiam mortua
est, & pariendo beata facta est cum manserit in fide. Nostrum au-
tem erit C. OO. honoratissimi, ultimos exequiarum honores eo
magis præstare quò magis à nobis tum familiae decus & Majo-
rum gloria tum virtus & pietas demortuæ feminae laudatissimæ
nec non religiosa Mariti, ac propinquorum dignitas requirere
videtur. Sitamen adhuc plures dolorum acerbitates sint, qui-
bus animum mœstissimi viri vidui in his mundanis desideris an-
gatur, En! his opponimus quicquid elegantissimè scripsit nostra-
rum literarum insigne decus Morhofius, qui ita:

*Sed quid degeneres juvat hic cecinisse querelas,
Et cælo voces opposuisse graves?*

*Ne pete in amplexus, quam nunc amplectitur ather;
Inque toros revoca per tua vota suos.*

Ille senu Divi felix requiescit Abrami.

Nec velis hæc ulnù nunc recubare tuis.

Ille Deo vivit formæ oblita priores,

Longè extra fluxas sortis & orbis operæ

Nam qua materies poterit superesse doloris?

Nec rectè in luctum te pius armat amor;

Si pius ille Tibi est, franges pietate dolores.

Nec pius à Cælo rapta reposcet amor.

Immatura doles dilecta fata marita e

Immatura Deo non solet esse dies.

Quæ rosa purpureo floret jucundior ævo;

Carpitur, exustis spernitur illa comis.

Nec mors sola gravis, sapiens quam nemo cavebit,

Morteque majores nos decet esse viros,

P. R. Sub Sigillo Rectoratus d. XXIX. Octobr. A. MDC. XC.

Conventus fiet in fide Jacobæâ horâ Ima pomerid.

169 (0) 100

Monumentum



Wer hievon Nachricht sucht/ der schau an diese
Und nehme doch zu Herz'n/ und nicht fürüber stre
Die Edle Kraprodin/ so aus Dvistorper
Ein Blut aus altem Stam/ ein Blut von
Ein Edles junges Blut/ aus diesem Welt-Getü
Muß plötzlich und im Huy/ so wandern nach der
Und unverhoffentlich verlassen diese Welt
Und durch den Tod geschwind so geh'n ins
Man hoffte immerdar/ das SIE noch lang solt
Und ihrem Mann und Kind/ viel Trost und Freu
Denn was SIE redete/ und was Sie inn
War zu erfreuen all' und trösten nur beda
Drümb dann kein Wunder ist/ daß man sich so be
Ob deren schleungen Tod/ DIE man so hoch gel
Daß was von Herzen rein/ und auch von
Daß wird sehr hoch geschätzt/ und hart bekl
Die Weißheit aber spricht: Wer zeitig wird entl
Von aller Leibes-Last/ bald völlig sey erfunden
Drümb wird Er weggeführt/ daß nicht de
Durch böse Lust verkehrt/ zur Hölle-Grub
So bald ein Ackers-Mann daß Ungewitt'r wirt
Da thut er in der Eil/ nicht lange sich besinnen
Was hie und dort zu thun/ er eilet se in Betr
Ins truck'n zu bringen ein/ mit voller Lust u
Also auch Gott der HER/ weggraffet die GEM
Die ihre Häupter schon/ mit Christi Krohn bef
Wann Er ein Reich und Land/ im Zorn n
Damit sich niemand find/ der Ihr auffhalt
Und die nach Glaubens Arth/ alhier für sich gew
Auffrichtig und gerecht/ und nichtes böß gehan
Die sind versorget woll/ SIE keh'r'n bey
Und ruhen ruhiglich in Ihrem Kämmerle

